



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

5. De Christo causa exemplari huius puritatis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

menstruam, aliaque eiusmodi. quàm hæc & similia media facilia sint, quàm efficacia ad insignem animæ puritatem breui acquirendam? quomodo ijs usus fueris, ac porrò uti velis? quomodo te ijs usum fuisse in hora mortis optares? Feruor his medijs seridò utendi.

III. Quo ardore Sancti innocentia vitæ conspicui, ad hanc angelicam animæ munditiem suspirarint? quo feruore his & similibus medijs usicandem indies auxerint, illibatamque conseruarint? in primisque immaculatissima Deipara, speculum sine macula, cuius omnes cogitationes, desideria, verba & opera nulla vnquam vel leuissima labecula infecta plusquam Angelicam puritatem redolebant. Congratulatio, zelus imitandi.

De Christo, caussa exemplari huius puritatis.

V.

I. **E**Xpende, quàm clarum nobis huius excellentissimæ puritatis & innocentia exemplū præbuerit Christus Dominus 30. annos priuatam vitam agens, qui licet esset impeccabilis,
nibi-

nihilominus! tam circumspecte sese in omnibus gessit, ac si instar ceterorum hominum peccatis & indomitis passionibus obnoxius fuisset. O quam sanctæ & immaculatæ fuere omnes eius cogitationes, omnia desideria, verba, opera! quam longè abfuere ab omni inordinato motu passionum & amore creaturarum! O si nostra vel à longè essent illorum similia! Gratitude, amor, zelus imitandi.

II. Quomodo tempore prædicationis hanc eandem omnimodam mētis puritatem, verbo & exemplo nobis commendavit, tam acriter peccata omnia cordis, oris, operis, nec solum maiora, sed etiam minora perstringendo, usque adeò, ut etiam de minimo verbo otioso asserat in die iudicii reddendam rationem: extirpationem vitiosorum habituum: seriam mortificationem sensuum, & prauarum passionum, absolutamque inordinari erga sanguine iunctos, aliasque res creatas omnes affectus abnegationem toties inculcando: denique omnia hæc, quæ verbo docuit, vitæ exemplo comprobando, atque ita sese gerendo, ut ne à curiosissimis & malitiosissimis omnium dictorum & factorum suo-

rum

rum obseruatoribus. vel vnius minimi
errati leuissimæque imperfectionis
verè posset conuinci, iuxta illud: *Quis Ioa. 8.
ex vobis arguet me de peccato?*

III. Quomodo demùm tempore
passionis suæ eiusdem absolutissimæ
innocentiæ speculum nobis relique-
rit, in summis iniurijs, opprobrijs, do-
loribus & cruciatibus ne minimæ
quidem imperfectionis aut leuissimi
motus indignationis, impatientiæ,
superbiæ, pusillanimitatis, alteriusve
minus ordinatæ affectionis signum
vel verbulo, vel nutu, vel gestu pro-
dendo, sed pacatissimo animo omnia
ferendo, sanctissimolque prædictis
imperfectionibus oppositos affectus
commiserationis, amoris, resignatio-
nis, humilitatis, patientiæ & similes
constantissime continuando: idque
amore nostri profectus, vt nos ad

sui imitationem prouo-

caret. Affectus

ijdem.

(?)

De